scilicet & Philippus, quorum pro feruenti &
indefesso studio, Zeloque uere diuino, Lux doctrinae
purioris nobis immensa DEI bonitate reaccensa
ac restituta est. Id enim si & faciemus
ipsi, & exemplo quasi nostro iuuentuti studiosae
praeibimus, fieri non poterit, quin & per se e-
uanescat ac uilescat apud omnes pias mentes,
illa recentium authorum quapiam Garrulitas
& futilitas mordax, rixosa, demens denique &
in multis absurdis defendendis alicubi impia
& blasphema.

Scio DEI beneficio primis illis annis quibus
Lux doctrinae est his Ecclesijs, eam fuisse apud sa-
pientes, bonos, moderatos & pios omnes Lutheri ac Phi-
lippi authoritatem & fidelitatis ac rectae uolunta-
tis, de utroque fiduciam, ut non dubitem, si tam
obtineri possit facile, quam optari cupide potest
ut alteruter eorum ἀπὸ μηχανῆς nobis reddatur
ac Judex certaminum praesentium de singulis
articulis constituatur, adhuc eos acquieturos in ea
sententia, quam alteruter illorum pronunciasset:
Id itaque authoritatis, si alterutri ex mortuis ad
nos reduci, tribuere sapientes & boni non grauarentur,

reddita